



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Praxis Cvræ Pastoralis Præcipve Circa Repentina & Generaliora**

**Possevino, Giovanni Battista Bernardino**

**Coloniæ Agrippinæ, 1645**

Confessiones extra templum non audiendæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42220**

nobis approbati in suis Ecclesijs pœnitentes audi-  
diant.

*Confessiones ægrotorum quomodo excipienda.*

Quoties regulares ad ægrotantium confes-  
siones excipiendas accersuntur, si necessitas al-  
liud nõ suadeat, ex pastore prius intelligant, quæ  
conditio, & status sit ægroti, vt tantò diligentius  
animaduertant, si quid alleuamenti conscientia  
illius præberi valeat, præsertim in summo tem-  
poris illius articulo, in quo velut in cardine ver-  
titur aut animæ salus, aut perditio æterna: quod  
si temporis breuitas non patiatur ante confes-  
sionem id fieri, saltem ab audita confessione  
quàm citissime fiat, vt tam ipse Confessarius,  
quàm Pastor in procuranda hominis infirmi sa-  
lute suo officio non arguantur defuisse.

Cum primum Sacerdos Sacramentum Pœni-  
tentia cuiusdam ægroti ministravit, in schedula  
subscribat, quæ qualis esse debeat, infra dicitur,  
eaque fateatur se pœnitentis confessionem ex-  
cepisse. Quod ideo fit, ne Medici curam suam  
subtrahere infirmis cogantur, iuxta Bullam fel.  
mem. Pij V. & Decretum primi nostri Concilij  
Prouincialis, & ne per negligentiam Confessa-  
riorum in dicta fide præstanda sumant occasio-  
nem excusandi se ab obseruantia præfatæ Bul-  
lae, & Decreti.

*Confessiones extra templum non audienda.*

Popularium in domibus confessiones nemo  
audiat, nec virorum, nec sceminarum, cuiuscun-  
que vel ordinis, vel conditionis illi fuerint, nisi  
dum ægrotant; quod cum sit, & mulierum con-

feffiones Sacerdotes excipit, ostium apertum fit, ita vt ab ijs, qui in vicinis locis agunt, conspici possit.

Extra eam necessitatem confessiones mulierum non audiant, ne etiam si vel leuiter illæ reconciliari tantummodo vellent, præterquam in templo, & sedilibus ad id destinatis, sed neque tum quidem eo loco; nisi post ortum solis, & ante eius occasum audiantur.

In illis ipsis sedilibus quotidiano ritu confessiones audientur, etiam virorum, si qui solent in templo confiteri: Hanc ob causam omnibus in templis sedes huiusmodi tam multæ construuntur, quàm multi solent esse Confessarij; sint autem omnes ad eam formam exædificatæ, quem admodum ordinauimus, generatim eas debere construi.

Constituuntur autem prædictæ sedes loco tam aperto, vt ex omni parte conspici possint, quod si præterea locus haberi talis possit, vt obstaculum aliquod intercedat, & vt dum quis confitetur, interea cæteri à spatijs plus æquo propinquis arceantur, id fiat, vbi verò malus mos aliud obtinet, Confessarij partes erunt sedem ipsam loco mouere, simul & populum nimis vicinum antequam confideat propellere, quod item faciet, dum in confessionibus versatur, si occasio requiret.

*Confessarij in audiendis Confessionibus  
scopus.*

Confessarius in huius Sacramenti administratione, sic animi sui propositum ordinet, ac dirigat necesse est, vt nullum eum intuitus homi-  
nus